

hoc est, ignitus) fuit, formam quidem nabens serpentis, sed non venenum; ita Christus, ut homo, quasi æneus, ut Deus, quasi ignitus fuit; ad hæc peccatoris quidem formam assumpsit, sed non peccatum. Tertio, qui serpentem percussit aspiciabant, sanabantur a morsu, et qui Christum crucifixum intuentur per fidem et contritionem, sanantur a peccato. Quarto, serpens ille flexuosus erat, Christus etiam in cruce præ doloris vehementia flexit procul dubio corpus nunc in hanc nunc in illam partem; ut inde coniceremus revera eum pati in cruce, et pati acerbissime.

X. Ecce vobis botrum a duobus viris, terræ sanctæ exploratoribus, gestatum, Num. XIII. Christum inter duos latrones crucifixum. Qui enim duo illi viri, botrum in veste portantés, nisi duo latrones, hinc et hinc juxta Christum crucifixi? Omnium trium dorsis incumbibat vectis crucis; sed impœnitens latro, qui præcessit, hoc est, qui prior locutus est dorsum Christo vertit; quia non erat timor Dei ante oculos ejus, sed blasphemabat Christum. Unde a socio audit: *Neque tu times Deum?* Alter pœnitens, qui secutus est, id est, qui posterior locutus, Deum in conspectu suo habuit, et per fidem in Christum intendit. Ambo terram sanctam humanitatis Christi juxta se viderunt, sed unus detraxit terræ, alter eam commendavit; idcirco hic de ea testimonium feret apud superos, ille apud inferos.

XI. Ecce vobis Josephum inter duos reos pincernam et pistorem, nulla ejus culpa in carcere constitutum, Genes. XL. Christum scilicet medium inter latrones crucifixum, utriusque juxta fidem vel meritum suum sententiam dantem. Illic Pharaon de carcere, mediante Joseph, pincernam assumpsit in aulam suam, pistorem suspendit: hic autem Deus de cruce, mediante Christo, similiter unum assumpsit, et in paradysum sustulit, alterum reliquit in prædam tartareis corvis. Pincerna assumptus in aulam fuit, quia per somnium regi suo calicem vini obtulit: pistior vero suspensus, quia somniavit se gestare supra caput omnis generis cibos, nihil tamen inde regi suo porrexit. Hic assumptus est latro dexter, quia Christi innocentiae præclarum testimonium dedit, suamque adeo salutem et animam ei commendavit: relictus vero latro sinister, quia cum a dextro corrigeretur, ejus tamen correctionem nihili fecit, nec Christo se commendavit, sed potius insultavit.

XII. Ecce vobis agnum in paschate immolatum, Exod. XII. Christum, inquam, innocentissimum in paschate occisum. Nam primo, ad

vesperam immolabatur agnus; Christus vespertino tempore, circa horam diei nonam, obiit. Secundo, agnus immolabatur ab universa multitudine Israel; Christus ad mortem condemnatus est ab universa turba clamante: *Crucifige, crucifige eum.* Tertio, agni sanguine tingebatur uterque postis et superliminare domus; Christi sanguine tinctum est utrumque crucis brachium, necnon suppedaneum, cui velut limini insistebat. Quarto, agnus assabatur in crucis formam expansus; Christus etiam extensus in crucis veru partim dolore, partim amore tostus fuit, ibique nihil aquæ, id est, nihil mitigationis, nihil solatii, in pœnis habuit.

XIII. Ecce vobis ostium in latere arcæ factum, Gen. VI. vulnus nimirum postremum, quod lateri Christi jam defuncti lancea militis inflictum est. Unde Augustinus, l. XV. de civ. c. XXVI. *Ostium, inquit, quod in latere accepit arca, profecto illud est vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum est: hæc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.*

XIV. Ecce vobis Josephum tunica sua exutum, et missum in cisternam, Gen. XXXVII. Teste enim D. Ambrosio et Augustino, tunica illa Josephi carnem Christi significavit, omnium virtutum colore decoratam: eam igitur Christo detraxerunt quidem Judæi, sed divinitatis immortalitatem detrudere non potuerunt: quemadmodum fratres Josephum tunica quidem exuerunt, vita tamen non spoliarunt. Josephum miserunt fratres in cisternam carentem aqua, Christus etiam deponitur in sepulcrum vacuum, in quo nondum quisquam positus erat. Vel secundum Cyrillum, cisterna non habens aquam inferos significat, vita destitutos, ad quos descendit Christus.

XV. Ecce vobis Deum in sabbato requiescentem, Gen. II. Ut enim die sabbati requievit Deus a creationis opere; ita Christus postquam feria sexta opus redemptionis mundi perfecit, dixitque: *Consummatum est,* sabbato requievit in sepulcro, ut docet S. August. l. IV. de Gen. ad lit. cap. XII.

XVI. Ecce vobis Jonam e ventre ceti in littus rejectum, Jonæ II. Christum, inquam, ab infernis resurgentem. Primo siquidem, ut Jonas ad sedandam tempestatem in mare ejectus, et a pisce devoratus est; ita Christus ad Dei iram, sævientem in humanum genus, sedandam in turbulentam passionis tempestatem missus, ac demum in cor terræ, sepulcrum, demissus est. Secundo, ut Jonas triduo in ventre ceti constitutus ad ima pelagi deductus, tertio vero die rejectus fuit in aridam: ita Christus triduo in se-

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA.

I. Superiores in medio consistent. — II. Tria boni Christiani symbola. — III. Ratio discernendi spiritus. — IV. Temperanter victitandum. — V. Quæ cogitationes admittendæ, quæ excludendæ. — VI. Virtutes Christi miræ: 1. Suavitas. 2. Charitas. 3. Humilitas. 4. Clementia. 5. Liberalitas.

## THEMA.

*Sumens reliquias, dedit eis.* Luc. XXIV.

Usitatum erat antiquis mittere de convivii cibis partes et apophoreta cognatis et amicis. Agesilaus ille Lacedæmoniorum rex duas sibi semper convivii partes apponi jussit, quarum alteram amicis dabat. Pertinax imp. suis etiam amicis mittere aliquid de mensa consuevit, teste Julio Capitolino. Joseph quoque Ægypti principem misisse fratribus de mensa sua ciborum partes, novimus ex lib. Gen. XLIII. Huic etiam consuetudini accommodavit sese Christus in hodierno evangelio, quando gustato pisce et favo, sumens reliquias dedit suis amicis, discipulis; imo, ne errem, nobis omnibus; siquidem reliquiæ illæ nihil aliud significant nisi panem verbi divini, de quo Ps. CXVIII. dicitur: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Et Ps. XVIII. *Dulciora super mel et favum.* Nobis autem scriptum est, quidquid a Christo Domino dictum atque gestum est. Porro hujusmodi mensa Christi est hodiernum evangelium spiritualibus cibis refertum, de quo in præsentiarum sumemus ac gustabimus aliquot reliquias, quas offert nobis Dominus.

I. Primum apophoretum. Discite qui præestis, consistere in medio, justitiam servando, si in pace regere subditos pacemque habere vultis. Cur enim putatis Christus precaturus pacem discipulis, in medio illorum stare voluit, nisi ut indicaret præselem in medio subditorum, animo non corpore, stare oportere, quemadmodum libræ examen, ita ut ne personarum acceptor, neque in unam magis quam in aliam partem ex effectu amoris vel odii propendat? Hoc enim nisi fecerit, pacem inter subditos statuere non poterit, sed mutua potius odia, lites et contentiones excitabit ac rempublicam turbabit. Sol in medio astrorum errantium constitutus est et medium cœli perambulat, ut omnibus ex æquo lumen suum impertiat, inde tanta temporum æqualitas et frugum undique proventus. Columna in medio domus statuta totam sustinet fornicem ac domum. Sol nisi mediam cœli viam

pulero fuit, et interim secundum animam ad inferos descendit, demum tertio die resurrexit gloriosus, ita ut ex tunc extra mortis et passionis pericula, securus in littore immortalitatis staret. Tertio, Jonas cetum in ventre arctavit et a respiratione impedivit afflixitque ut coegerit eum vomere, quomodo cibus crudus provocat stomachum ad vomitum: ita Christus in mortem et infernum descendens afflixit ea, ut eogeret remove et se et alios mortuos. Quarto, Jonas a ceto ejectus est, ut fidem faceret a Deo missum præconem eversionis Ninivitarum: Christus resurrexit ut persuaderet mundo se a Deo missum mundi redemptorem et præconem regni cœlorum.

XVII. Ecce vobis Samsonem e somno media nocte resurgentem et portas Gazæ auferentem, Jud. XVI. Christum, aio, ab inferis suscitatum et mortis triumphatorem. Figuram hanc inter alios explanat S. Gregor. hom. XXI. in evang. his verbis: « Samson cum Gazam civitatem Philistinorum fuisset ingressus, Philisthæi ingressum ejus protinus cognoscentes, civitatem repente obsidionibus circumdederunt, et Samson fortissimum se jam comprehendisse gavisus sunt. Sed quid Samson fecit agnovimus: media nocte portas civitatis abstulit, et montis verticem ascendit. Quem fratres charissimi hoc in facto, quem nisi redemptorem nostrum Samson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philisthæos, nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulcro jam positum, custodes illico deputaverunt, et eum qui auctor vitæ claruerat, in inferni claustris retentum quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson vero media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit, quia videlicet redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed et ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit, et montis verticem subiit, quia resurgendo cœlorum regna penetravit. Hanc ergo resurrectionis gloriam, fratres charissimi, quæ et prius demonstrabatur ex signo et post patuit ex facto, tota mente diligamus, pro ejus amore moriamur. Ecce enim in resurrectione auctoris nostri ministros ejus angelos concives nostros agnovimus. Ad horum ergo civium illam frequentem solemnitatem festinemus. His, cum necdum visione possumus, desiderio et mente jungamur. »



teneret, unam quidem orbis plagam calore nimio, alteram frigore perderet. Columna si in unam partem magis se inclinaret, totum ædificium subrueret. « Cur terra sola, inquit Hector Pintus, in Isa. cap. XXXII. immobilis est ex omnibus elementis, nisi quia est in medio mundi veluti centrum constituta? Ima sed semper hæret, complexa medium mundi locum, et in eam feruntur omnia suo motu pondera; ideo quieti manet cum omnia alia elementa moveantur. Si præsul quietem voluerit obtinere sit veluti terra produca fructus; humilis, non superbus, omnes recipiat, sitque in medio collocatus et tunc dicat: Pax vobis. » Representavit hoc Calanus philosophus Alexandro Magno in corio sicco; illi enim in limitibus dum insisteret philosophus, subsiliebat corium: dum vero in medio illud calcabat, totum quiescebat, Plut. in Alexandro: stet similiter rex in medio æquitatis et pax erit reipublicæ. Denique hoc est, quod Isa. c. XXXII. dixit: *Opus justitiæ pax*, quasi dicat: justitiæ administrationem sequetur pax reipublicæ. Gloriantur aliqui mundi rectores in fine gubernationis se relinquere suis divitiis, latifundia, ditiones bello vel auro partas, auctum imperium, etc. Augustus Cæsar gloriabatur se relinquere Romam marmoream, quam invenisset lateritiam. Verum melius gloriari possent, si pacem suis relinquerent; quia pax est mater abundantiae et omnis prosperitatis, adeoque melior quam omnes divitiæ, plusquam marmorea mœnia. Hanc reliquit suis Christus: *Pacem relinquo vobis*; non aurum, non palatia.

II. Discite universi tria boni Christiani symbola tribus verbis a Christo notata, quando ait: *Pax vobis, ego sum, nolite timere*. Primo, verbo indicat bonum Christianum pacis amantem esse debere. Hoc enim de Christianis crebro prædictum est a prophetis, velut ab Isaia dicente Christianos conflatueros gladios in vomeres, et lanceas in falces, cap. II. Rursum sub evangelio habitatum lupum cum agno, pardum cum hædo accubiturum, vitulum, leonem et ovem simul moraturos, c. XI. Ab Aggæo, c. II. *In loco isto (Ecclesia) dabo pacem*. A Davide, Ps. LXXI. *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis*. Id vero in primis Christianis maxime impletum fuit, apud quos pacis osculum, seu ut loquitur et testatur Tertul. I. præscript. c. XX. *Communicatio pacis* symbolum et tessera erat Christianorum. Quemadmodum ergo columba illa ad arcam revolans ramum olivæ secum tulit, Gen. VIII. ita Christianus quocumque vadit, pacem secum affert dicendo: *Pax hinc domui*, vel: *Pax vobis*.

Olea cum cæditur, securis aciem hebetat et emollit, teste Pierio, l. LI. hierogl. Christianus arma omnia mediante pace enervet, contentiones pace sopiat. Sic erit columba ad arcam Christi spectans.

Secundo, verbo notat sinceritatem, animi Christiani ornamentum esse, ita ut dicat: *Ego sum*, ubicumque versetur; non alium se fingat, non abneget se esse eum qui est; quemadmodum et Christus ipse requisitus a cohorte militum quærentium Jesum Nazarenum: *Ego sum*, inquit. Hanc sinceritatem viguisse in Christianis ævo S. Petri, insinuat ipse II. ep. c. III. dicens: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram cæcitate in communione sinceram mentem*. Sinceri igitur erant, id est, puri et simplices, velut vinum merum et balsamum non mixtum; nihil fictum aut fucatum in pectore gerebant, sed aperta omnia, candida et fidelia. Quod etiam commendat nobis S. Paul. I. Cor. V. *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis*. Panis azymus purus est, fermentatus vero impurus et mixtus. Eandem etiam virtutem discimus a columba, quæ sine fuco et dolo est, oculos habens non diversos, ut vulpes, sed in idem intentos. Et tales esse vos jubet Dominus, Matt. X. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*.

Tertio, verbo insinuat tertium boni Christiani decus, mansuetudinem, cum ait: *Nolite timere*, q. d. in spiritu lenitatis et mansuetudinis ad vos venio, sine armis, sine ira: nolite me metuere, quin potius accedite ad me. Voluit quidem auctor naturæ omnes prorsus homines mansuetudine esse præditos, dum cæteris quidem animantibus sua adjunxit arma, alia dentibus muniendo, alia cornibus, alia unguibus, solum hominem armis destituit, nudum atque inermem formavit, præcipue tamen Christianos mansuetudine voluit excellere. Idecirco Christus discipulis præcepit, ut ne virgam quidem secum in itinere ferrent, Matth. X. quia nimirum alios offenderent vel defenderent, ut ibi Jansen. et Cajetanus docent: nam virgam seu baculum, cui inniterentur, concessit, Marc. VI. Docet et hoc columba, quæ vel bilem non habet, vel in urropygio, ultima spinæ parte habet, teste Pier. I. XXII. Ergo et Christianus vel non habet iracundiam, vel procul a se habet, ita ut nonnisi magna urgente necessitate et tarde eam exserat.

III. Discite rationem discernendi spiritus eorumque suggestiones. Tametsi enim Christus hic non spiritu, sed vere corpore et anima præ-

sens fuit, docet tamen rationem dignoscendi spiritus. Solet siquidem diabolus transformare se in angelum lucis, et sub specie boni decipere homines. Itaque notanda primo regula D. Ant. quam suis tradidit his ferme verbis: *Non est difficilis bonorum malorumque spirituum discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, a Domino sciamus venisse auxilium: si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur*. Quæ a Deo et bonis angelis procedunt, lætitia prædita sunt, charitate, pace, virtute; quæ autem a malis, turbatione plena sunt, carent dilectione et gaudio erga Deum. Quare si primo congressu lætitiæ afferant animo, postea horrorem, turbationem vel desolationem relinquunt, vel etiam magno cum foetore, strepitu vel clade abeant, mali spiritus sunt. Discipuli conspecto Christo primum quidem territi, postea vero gavisii et consolatione impleti fuere. Secundo, notanda regula D. Ign. Loyolæ, in l. exerc. de dignos. spirit. « Proficientibus spiritus malus se dure, implacide et violenter quasi cum strepitu quodam, ut imber in saxa decidens, infundit: bonus vero iisdem leniter, placide et suaviter, sicut aqua irrorat spongiam. Illis vero qui in deterius proficiunt, experientia docet, contra evenire. » Christus in hodierno evangelio placide et suaviter se insinuavit suis discipulis: *Pax vobis, ego sum, nolite timere*.

Tertio, si spiritus appareat forma non humana, formosa et bene formata; sed tetra, deformi aut vili velut canis, serpentis, suis, draconis, aranei, bufonis vel similibus, vel nigri Ethiopis, malus est genius: si vero forma humana, bona, angeli, vel beati, vel Dei, tunc consideranda est operatio: si ex genere suo improba sit, malus; si bona, bonus erit. Christus forma humana, placida, bona et sibi simili apparuit: bono etiam fine, ut desolatos consolaretur, bona operatione, quia charitatem, humilitatem, bonitatem, aliosque virtutum actus exseruit.

IV. Discite rationem vitandi temperanter, in quantitate, qualitate, modo et fine. Nam primo, duo tantum fercula Christo legimus apposita, piscem nimirum et favum. De antiquis etiam Romanis scribit Servius, eos solum duobus ferculis cœnare solitos. De Augusto quoque Cæsare scriptum, cœnasse eum ternis ut plurimum ferculis, aut eum abundantissime, senis præbuisse convivium. Seneca quoque, ep. CX. scribit: *Disce parvo esse contentus et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus potentiam*. Secundo, fercula vulgaria, non exquisita erant, piscis et favus;

non perdices, non cupediæ, non carnes. Ad hæc quidvis etiam vilis comedere se paratum fuisse insinuat eo verbo Dominus: *Habetis aliquid quod manducetur?* q. d. quidquid illud sit, dummodo ostendam vobis me revera edere et vivere. Seneca, epist. CVIII. scribit se animalibus et esu carniū abstinere, his persuasum argumentis; primum, quod homini satis alimentorum sit et crudelitas consuetudo fiat, ubi in voluptatem est deducta laceratio; secundum, contrahendæ materiam esse luxuriæ; tertium, bonæ valetudini contraria esse alimenta varia et nostris aliena corporibus. Quartum, quod carnes sint alimenta leonum potius et vulturum. Additque hanc consuetudinem abstinendi animalibus anno peracto sibi non tantum facilem sed et dulcem factam. Audiant hoc delicatuli. Eadem in epistola scribit se delicatis illis cibis ostreis et boletis in omnem vitam renuntiasset. *Hæc enim non cibi sed oblectamenta sunt*, inquit, *ad edendum saturo, cogentia, etc.* Tertio, modus erat moderatissimus, delibavit enim solummodo cibos illos, reliquias discipulis dedit. Ite Ruth illa tulit de mensa reliquias et attulit socri suæ, Ruth. II. Non ergo ultra modum edendum, famem tantum explenda est. Unde Ecclesiastici monitum c. XXXI. *Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur: ut non cum manducas multum, odio habearis*. Quarto, intentio erat non voluptatem exsatiandi, sed vivum se ostendendi. Non ergo ad voluptatem, sed ad vitam viresque conservandas edendum ac bibendum est. Ita Socrates ille rogatus qua in re ab aliis differret, ait: *Alii vivunt ut edant, ego vero edo ut vivam*. Egregie S. Augustinus, lib. X. conf. c. XXXI. *Hoc me docuisti (Domine) ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*. Denique semel tantum illo die post vespertinum tempus, et universim per quadraginta dies a resurrectione usque ad ascensionem suam nonnisi ter comedisse legitur cum discipulis, primo scilicet die in hodierno evangelio, deinde ad mare Tiberiadis, denique die ultimo paulo ante ascensionem: quia etsi gustum et saporem cibus illi præberet, necessarius tamen non erat, in gratiam tantum discipulorum ab eo sumptus erat. Discunt igitur hic helluones et bibones se nequaquam Christo similes esse, sed Charybdi potius (fretum angustum inter Italiam et Siciliam sito) quæ ter in die editi fuctus et ter absorbet; nam accipit aquas ut vomat, vomit ut rursus accipiat, inquit Plin. I. XIII. c. XVIII. Intra quadraginta dies ter delibavit cibum Dominus, isti intra unum diem ter ingurgitantur.

V. Discite quibus cogitationibus cor sit rese-



randum, quibus ocludendum. Dominus ait: *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Non vult ergo admitti cogitationes illas, quæ ascendunt in cor nostrum; tacite insinuans admittendas contra eas, quæ desuper in cor descendunt. Ascendunt porro in cor illæ cogitationes quæ de terra et terrenarum rerum amore sunt; et hæ perturbant mentem, non secus ac vapores, qui æstivo tempore ascendunt in regionem aeris mediam, ibique in nubes coacti, turbant aerem, solem obnubilant et ad extremum tempestates cient, fulgura, tonitrua et fulmina pariunt. Ita enim cogitationes terrenæ, si in ipsa cordis penetralia, ascendant, mentis tranquillitatem et perspicacitatem turbant hominemque exagitant et in gravia sæpe peccata, quandoque etiam in desperationem impellunt. Hujusmodi erant cogitationes discipulorum de metu Judæorum, de formidine spectri, de diffidentia resurrectionis Dominicæ, etc. Ideo Dominus: *Quid turbati estis, inquit et cogitationes ascendunt in corda vestra?* q. d. ideo turbamini, quia ascendunt in vos cogitationes. Aquam turbari dicimus, cum limus in profundo residens ascendit in superficiem aquæ: quæ nisi perturbetur, clara et pellucida erit. Et cur tu perturbaris? mentisque tranquillitatem perdis? Nonne quia amorem inordinatum hujus vel illius personæ vel rei in cor ascendere passus es? Nonne quia injurias, quas oblivione sepelire et pedibus subjicere debebas, ob oculos tibi ponis? Nonne quia honores, opes et mundum, quæ calcare debebas, mente agitas? Infimus animæ locus terræ et terrenis rebus debetur, supremus cælo et cælestibus. Admittendæ cogitationes, quæ de cælo in cor descendunt: intueri quæ Christus pro te passus sit, expende gravia damna, quæ ibi inordinatus amor affert; pericula, quæ honor, divitiæ; bonum maximum, quod inimici te persequentes: cogita peccata tua quid mereantur, etc. et tunc haud dubie non turbaberis, sed plenus solatio conquiesces. Hinc Magdalena sedens ad pedes Domini, quia ex illius ore sanctæ cogitationes descenderant in cor ipsius, minime turbata est: contra vero Martha, quia terrenis cogitationibus occupabatur, sollicita fuit et turbata erga plurima. Limpidam quæris aquam? Noli fundum ejus exagitare. Serenam et quietam vis mentem tuam? Noli amorem et curas sæculi in cor admittere.

VI. Discite non omnia prorsus quæ ad salutem nostram sunt necessaria, a Christo præstita esse, sed quædam etiam a nobis præstanda, uti pœnitentiam, per quam applicentur nobis

Christi merita. Ait enim hic Dominus oportere in nomine ejus prædicare pœnitentiam et remissionem peccatorum. Illa opus nostrum, hæc opus Christi est: illa præcedere, hæc sequi debet. In cujus rei figuram, prius adeps hostiæ cremandus erat, Lev. IV. postea a sacerdote hostia absumberetur, Lev. VI. Quia nimirum peccator prius affligere cor per compunctionem debet, postea ejus peccata abolebit Christus summus sacerdos. Non erat satis Jeremiæ in cœnosum lacum misso demitti pannos et funes, ut e cœno emergeret vitamque servaret; ipse suam quoque operam ad hoc conferre debuit, pannos nimirum supponere axillis et funes fortiter apprehendere, ut extrahi posset; unde Æthiops ad eum eximendum ablegatus demissis pannis et funibus dixit ei: *Pone veteres pannos et hæc scissa et putrida sub cubito manuum tuarum et super funes*: atque ita extraxit eum, Jer. XXXVIII. Quinam illi panni, nisi Christi merita quibus nos vestimur? Quænam illa scissa nisi membra Christi discissa in passione? Quænam illa putrida, nisi crucis ignominia, *Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitia?* Quinam funes nisi pœnitentia? Hanc ergo amplecti, illis inniti debet, qui in barathrum peccati cecidit, si emergere velit.

VII. Perpendite virtutes Christi plane admirabiles, ac primo humanitatem et suavitatem, dum discipulos suos invisens suavissime salutatur, ac ne eos velut calamos quassatos confringat perterrendo, clanculum ingreditur et timorem ponere jubet, pluribus argumentis ostendens se ipsorum Dominum esse: necnon potestatem eis faciens ut tangere ipsum possint.

Secundo, charitatem, dum non contentus prioribus indicis, vult etiam coram illis edere, nullo adductus cibi appetitu, sed amoris tantum affectu, ut eos lucrifaciat; non enim cibum corporeum desiderant glorificata corpora, sed vescuntur aliis cibis invisibilibus et cælestibus, qui tanto nobiliores sunt epulis nostris, quanto cœlum terram superat.

Tertio, humilitatem, dum ipse in tam glorioso statu non dedignatur tam humiliter versari cum discipulis suis rudibus et pauperculis piscatoribus, necnon eodem cum illis cibo vesci. In cæteris hominibus plerumque honores mutant mores; sed non in Christo Domino.

Quarto, clementiam, quandoquidem injuriarum acceptarum oblitus, ne verbo quidem mentionem facit; non interrogat, cur fugerint, cur negarint, cur in cruce eum desuerint; nihil illis triste ingerit, læta solum tractat et ad mentis serenitatem eos componit, quia nimirum olim

per os prophetæ dixerat: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*, Ezech. XVIII.

Quinto, denique liberalitatem, quando cibi sui reliquia discipulis communicavit, volens utique ostendere se eandem gloriam, quam in cœlis habet, facturum esse communem omnibus electis, ut edant ac bibant ibi super mensam ejus, quod nobis etiam ipse pro sua ineffabili munificentia dignetur impertiri.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

I. Cur in medio stetit Christus? — II. Cur pacem precatur suis? — III. Cur ait: Ego sum, nolite timere? — IV. Quid assus piscis et favus mellis? — V. Cur reliquias dedit discipulis? — VI. Quot modis probavit Christus suam resurrectionem? — VII. Cur tot modis probabit?

## THEMA.

*Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Luc. XXIV.

Cum Jacob patriarcha post visionem scalæ illius proficisceretur in terram orientalem, Mesopotamiam videlicet, accepturus sibi uxorem, vidit puteum in agro, cujus os grandi lapide claudabatur, ovium quoque greges juxta eum accubantes; qui ut bibere possent, amovit a puteo lapidem solus, quod ex pastoribus ovium nemo præstare poterat, junctis plurium viribus amoveri debebat, Gen. XXIX. Quis hic Jacob, auditores, nisi Christus Dominus, qui post visionem illam mirabilem scalæ seu crucifixionis suæ pervenit in terram orientalem, hoc est, in statum vitæ gloriosæ et immortalis accepturus sibi paulo post sponsam, cœlestem beatitudinem seu Ecclesiam in cælo triumphantem, invenitque in hujus sæculi agro gregem discipulorum suorum, simul in eadem domo congregatorum? Erat juxta eos sacræ Scripturæ puteus, unde aquam sapientiæ expectabant; sed a scribis et Pharisæis grandi lapide ignorantæ et invidiæ clausus erat; unde audierunt Christum sibi dicentem: *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis*, Luc. XI. Quid igitur Dominus? Adaquaturus gregem suum, removit hodie lapidem a puteo Scripturæ, *cum resurrectionis suæ apostolis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas*, inquit Lippomanus. Nemo hoc ante Christum solus et perfecte præstitit: omnes legis doctores quod

agerent habebant, si lapidem hunc amoveri vellent. Quando igitur nunc Christus aperuit nobis puteum istum, accedamus ad illum et nos, adaquemus animas nostras aqua sapientiæ.

I. Cur in medio discipulorum stetit Christus? Resp. primo, ad litteram, ut ab omnibus pari in distantia videri, agnosci, palpari et audiri posset, sicque omnium animos per fidem et præsertim resurrectionis suæ ad se traheret. Erant igitur hic discipuli Christi sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini, ut ab eo omnes simul videri, salutari, recreari, et pane verbi divini pasci possent. Nulli vicinior esse voluit, ne invidia et contentio inter eos oriretur, quis eorum videretur esse major; quod antea quidem contigerat. Secundo, symbolice, quia Christus est medium totius universi: media in SS. Trinitate Persona inter Patrem et Spiritum s. mediator inter Deum et homines per opus redemptionis; medius nexus inter creatorem et creaturas; quia omnia per ipsum facta sunt. Ea propter in universo medium fere locum semper obtinuit per totam vitam: media nocte natus est, Sap. XVIII. infans medius inter duo animalia reclinatus in præsepio; puer in medio doctorum inventus; juvenis inter matrem et nutritium domi adolevit; vir in medio fuit apostolorum sicut qui ministrat; doctor in medio terræ salutem operatus est; moriens in medio latronum pependit; in cælo medium tenet inter Patrem et electos. Ipse adhuc est quasi canalus medius per quem a fonte vivo, Deo fluunt ad nos aquæ vivæ gratiarum: ipse est scala Jacob, qua mediante ascendimus e terra in cœlum. Tertio, tropologice, ut doceat nos amare auream mediocritatem, qualis est omnis virtus, quæ in medio consistit, uti temperantia inter ingluviem et famem, liberalitas inter avaritiam et prodigalitatem, pax et concordia inter dissidentes, etc. Unde S. Ber. serm. I. de S. Michaele ait: *Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat Filius hominis, Dei et hominum mediator.*

II. Cur salutatur eos pacis imprecatione? Resp. primo, ex recepto Hebræorum more, qui obviantes sibi necnon incolas et domos ingressi salutabant: *Salomlach, pax vobis*, vel *pax huic domui*, ut præcipit Dominus, Matth. X. discipulis. Pacis autem nomine Hebræi intelligebant omne bonum seu prosperitatem. Ita II. Reg. XVIII. ait David: *Estne pax puero Absalon?* q. d. estne illi bene? Salvusne est? Prosperene agit? Salutatur ergo Dominus suos humano et recepto more, ne aspectu ejus repentino et miro vehementius perturbentur. Secundo, ut denuntiet illis venire se ut amicum, non ut inimicum. Primum, quod ab